



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ivsti Baronii Veteracastrensis SS. Th. Et I. V. D.  
III[ustrissi]mo Arch[iepisco]po Moguntino à Consilijs.  
Epistolarvm Sacrarvm Ad Pontificem Max. Et Amplissimos  
Cardinales &c. Libri VI**

**Baronius, Justus**

**Mogvntiae, 1605**

Epistola XV. Sanctissimo In Christo Patri & D. N. Clementi VIII. Pontifici  
Maximo Ivstvs Baronivs Veteracastrensis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70614)

## EPISTOLA XV.

SANCTISSIMO IN CHRISTO  
Patri & D. N. CLEMENTI VIII. Pon-  
tifici Maximo

IVSTVS BARONIVS VETE-  
racastrensis.

**A**D III. Calend. Sextileis, cum duobus  
ante mensibus *Moguntiam* venissem,  
magna in ærumna mea redditæ mihi sunt  
alteræ S<sup>tis</sup> T<sup>æ</sup> litteræ, paterna mei ad *Illu-  
strissimum Electorem Moguntinum* commé-  
datione stipatæ. Quas propterea tanta ani-  
mi exultatione perlegi, vt quasi in medio  
naufraugio scapham attingere, tutoq; vitæ  
portui appellii viderer. Rem marmori in-  
sculpsi sempiternæ memoriæ: nec danti-  
quicquã gratius à me rependi posse puto, quàm  
si gratum habuero, quod gratis accepi. Spiritui  
enim gratiæ contumeliam facit, qui beneficium  
dantis grata mente non suscipit: Vt *Imerico  
Cancellario Magnus ille Bernhardus* quon-  
dam rescripsit. Verum nē solis agendis gra-  
tiji contentus, omnem beneficentiæ fru-  
ctum ludere videar, En hunc primitiarum  
fasciculum ad pedes S<sup>tis</sup> T<sup>æ</sup> depono: id est  
breuem modestamque (qualis spiritum  
Christi decet) pro mea ad *Sacrosanctam Ca-  
tholicam Romanam Ecclesiam* transmigrati-

one

one Apologiam, nomini Illustrissimi Nepo-  
 ristui, D. CINTHII ALDOBRANDINI, &c.  
 consecratam: quam hoc ipso quoque no-  
 mine S<sup>ti</sup> T<sup>ri</sup> velut domus ALDOBRANDINÆ  
 fausto *Ailanti* gratiorem fore speravi. Ma-  
 iora atque elaboratiora ingenio vires o-  
 pera nunc non tulerunt. Proximæ tamen  
 Nundinæ *σὺν* *θεῷ* propositum nostrum v-  
 berius confirmabunt, nec vlla corrigendi  
 erroris vsquā oblata à me peribit occasio,  
 quin totis viribus hominum saluti incum-  
 bam, tenebrisque occæcatis non exemplo  
 solum meo, verum & studio & conatu ad  
 Catholicæ veritatis lumen perducere an-  
 nitur. Sed est à fortuna grande huic succes-  
 sui obiectum obstaculum, cui amoliendo, si  
 qui possunt, seriam nauabunt operam, bre-  
 ui integras conuersorum messes faciemus,  
 quod ex eorum numero æstimo, qui mihi  
 hæctenus ex *Palatinatu* cæterisque vicinis  
 Prouincijs præcipui viri ac duces gregum  
 adfuerunt.

Fructum Apostolicæ commendationis  
 ab *Illustrissimo Archiepiscopo* nostro expecta-  
 mus. Locus in Curia, quem sciam, nunc va-  
 cuus nullus. Interim expectationem opti-  
 mus Princeps necessario subsidio fulcit,  
 meque benigne habet. De nominis muta-  
 tione etsi gaudeam mihi liberum relictum,  
 causæ tamen subsunt, quam obrem meo in  
 urbem

urbem aduentui (nam ea adhuc spes superest) referuandam arbitrer. Res obuia calumnijs, & nisi certo autore fiat, maioris apud Parentes opprobrij, quod si non effugere profus, declinare saltem aliquantulum licebit. De valetudine primum febris *Augustana* in Colicam abiit: deinde medici diligentia, quæ certè Deus hic industrium peritumque dedit, sensim sublata, necessarijs iterum vitæ munijs me præesse finit. Immortales Deo gratiæ, qui durum cervicibus meis flagellum clementer abstulit: Immortales etiam gratiæ tibi, SANC<sup>MC</sup> PONTIFEX, cuius paterna commiseratio, atque Apostolica benedictio, non minoris quam prisca illæ Patriarchales censenda, non dubito quin vel maximum sanitati meæ robur attulerit. \* *Benedictus Dominus Deus noster, qui voluit te ordinare super thronum suum, Pontificem Ecclesiæ suæ: Beati viri tui, & beati serui tui, qui assistunt coram te omni tempore, & audiunt sapientiam tuam. Vicisti famam virtutibus tuis. Diligit Deus Israel, & vult seruare eum in aeternum. Idcirco posuit te super eum, Pastorem, ut faceres iudicia atq; iustitiam.* Mogunt. Calend. Octob. M. DCI.

\* 2. Par.  
9. 7. 8.